

DE MENANDRI HEROE

Herois Menandreae, quam fabulam papyro Aphroditopolensi primam servatam esse nunc certo scimus¹, quoniam et argumentum versibus perscriptum habemus et servorum colloquium, quo spectatorum mentes ad res quae agerentur intellegendas praeparari poeta voluit, de actione omnino constare crederes. At nuper demum de ea parte, quae totius fabulae summa fuisse videtur, recta cognita esse cum viri harum rerum periti consentiant², singula pertractare operae pretium videtur, non ut coniecturis indulgeamus a fide alienis, sed ut ea quae exstant cum cura interpretemur rationesque inter singula intercedentes illustremus.

Atque qui hypothesin scripsit eum non omnibus numeris fide dignum esse non possumus non concedere, siquidem (v. 3 sq.) Gorgiam ac Plangonem a Tibeo pignoris causa in patris domum traditos esse dicit, Davus (v. 34 sqq.) mortuo eos Tibeo transmigrasse narrat. At haec res cum tanti non sit aut fuisse videtur, ut ita falsa de actione ipsa concludere liceret, in ceteris existimandis etsi ei non temere credendum, tamen prorsus falsa eum referre probabile non est. Facile autem cognoscimus, quantum ille tribuerit ei parti, de qua scripsit οὐκ εἰδὺία δ' ἦ μήτηρ ἄραν ἐδυσχέραινε. Scilicet imperfecto utitur, ut aliquantum temporis in hac re consumptum esse cognoscamus, id quod confirmatur versibus 61 et 79, inter quos satis magnum spatium intercessisse necesse est. Atque priore loco femina quaedam etsi solam se mala fortuna uti queritur, qua peior cogitari non possit, tamen altera persona proximis versibus eam consolari videtur, quam ipsam doloris illius causam non nescire oportet propter verba ἐκ βίας σέ τίς ποτε. Haec quia non possunt Plangoni

¹ Körte, BphW. 1911. 45. 1421, Rh. Mus. 67 (1912) 478.

² Vollgraff, Χάριτες p. 57; Körte² praef. XVII.

dicta esse, quod eam in scaenam non prodiisse personarum indice demonstratur et usu theatri Attici confirmatur, nihil restat, nisi ut superiora illa certo Myrrhinae tribuamus eamque in discrimine versari censeamus, quod Plangonem filiam gravidam esse aegre fert: quod fieri non potuisse nisi eam suam filiam esse sciret consentaneum est et hoc ipso loco comprobatur, quo cum illa matris querimonia ab altero quodam commemorari audimus matrem ipsam olim per vim compressam esse, ut eam supra Plangonis se matrem professam esse appareat.

Quae quoniam solam se in hac calamitate versari dicit, non potuit maeroris causam fateri marito aut filio: cum ea igitur persona eam colloqui cognoscimus, quae rebus adversis mederi non possit id est cum Sophrona nutrice, quam credible est et partus clandestini consciam fuisse et geminos olim exposuisse aut Tibeo educandos tradidisse; hoc autem actum esse ex argumento discimus: παρθένος ἔδωκεν ἐπιτρόπῳ τρέφειν. Quamquam nolo omittere praeterea e numero personarum huius fabulae cogitari licere de Sangario, quod servi nomen esse e Sticho et Trinummo Plautinis discimus, quocum adversam fortunam Myrrhina fide mutua conqueratur. Hoc si quis credat, coniecturam confirmet et vocabulis σέ τίς ποτε (v. 64), quae Sophronae minus apta videntur, quia eam de re illa non minus certo quam dominam dudum scire oportet, et loco, quem ille in personarum indice habet, quia eum tum demum prodiisse credible est, cum difficultates solvantur. Si igitur Sangarius Myrrhinae servus callidus sit atque Davo homini amore capto et obtuso opponatur, aptus sit, qui simulatam Davi culpam patefaciat et nocentem investiget. At quoniam Phidias in personarum numero est, quem neminem alium nisi vicinum illum qui Plangonem ante compresserat¹ esse consentaneum (arg. v. 12) est, eum hunc servum secum habuisse probabilius est. Namque Getam, quippe qui ipse quoque vicinus v. 26 sq. cognoscatur, Phidiae servum esse minus credible videtur, quia eum πρόσωπον προτατικόν facile putabimus (cf. Ter. Phorm. I 1, 2 ubi tamen eadem nomina sunt, partes contrariae).

Iam quoniam Myrrhinam liberos ex se natos numquam ignoravisse intellegimus nec vero facere potuisse, quin maritum de ea re celaret, recte interpretari licet, quae in argumento sunt: οὐκ εἰδύια ἢ μήτηρ ἄγαν ἐδυσχέραινε: scilicet ignorabat mater

¹ arg. v. 6 sq. cf. Georg. 30 ἡδίκηκώς τὴν κόρην.

Davum amore Plangonis captum falso ex se gravidam illam esse simulare, revera liberum adolescentem in noxa esse. Augetur igitur matris dolor, quod filiam a servo compressam ei in concubinatum traditum iri censet, id quod maritus se conciliatum esse iam antea promiserat (v. 43), neque hanc rem apertam facere ei licet nisi cum maximo et suo et liberorum periculo. Similem matris calamitatem in Georgo Menander finxit, ubi, ut ceteras harum fabularum similitudines mittam, res in eo est, ut puella ipsa quoque gravida a suo patre inscio in matrimonium petatur neque Myrrhinae matri rem aperire liceat. Praeterea similitudinis causa Hecyram Terentianam adhibere in rem est, in qua tertia quaedam Myrrhina propter filiae partum — id quod in Heroe quoque accidisse credibile est¹ — nullam mulierem se miseriorem vivere (v. 565) clamat. Ion denique Euripidea in hoc numero non neglegenda videtur, in qua Creusa propter silentium necessitate impositum in similes angustias adducta similia queritur v. 764 sqq. Atque haec et a paedagogo iubetur reputare, sitne sola tam infelix v. 772 (cf. Her. v. 61), et ipsa dolore abrepta causam suam patefacere animum inducit verbis vehementissimis v. 859 sqq. Vel ei igitur dici licebat quod est apud Menandrum v. 80: ἐξέστηκας (cf. Sam. 64. 275) · οἶα γὰρ λέγεις! Eidem autem illi Myrrhinae et haec dici e versu 82 cognoscitur et de eius adversa fortuna esse e superioribus illis v. 79: σὺ τάλαινα φανερώς, ὦ γύναι. Atqui illa magnum aliquid atque admiratione dignum actura est: ἄ καὶ ποιήσω, inquit καὶ δέδοκται μοι πάλαι. Iam igitur res eo deducta est, ut ipsa Plangonem filiam suam profiteri constituerit; atque in ea re Thraessae servae (cf. Ar. Thesm. 279 sqq.), quae v. 78 commemoratur, opera uti videtur. His rebus is, quocum colloquitur, vehementer commovetur: ἐς κόρακας inquit, sudor ei demanat², feminam sui non compotem esse censet. Cum qua re non bene convenire videntur verba commiserantis: σὺ τάλαινα φανερώς v. 79, etiam minus bene quod mulierem quaerere fingunt τί γάρ; aut τί γε; at omnino hic versus nec recte traditus est nec lectio satis certa: illud ὦ γύναι certe optimum locum habet in exeunte ut sescentiens (velut Men. Epitr. 86. 438. 445. 453, Eur. Ion. 238. 244. 255. 263. 289. 309. 333. 372. 379. 402); Lefeburii quidem tabula inter φανερώς et νή plus quam duarum litterarum

¹ Legrand, Daos 254, 1.

² Mimnerm. 5, 1 = Theogn. 1017; Sappho 2, 13.

(γε) spatium intercedere et exitum versus esse incertissimum demonstratur; nonne illud τι personae notam esse censeamus et versum sic fere restituamus: σὺ τάλαινα φανερώς πάνυ¹ γε νῆ Δί', ᾧ γύναι? ita certe animi perturbatio aliquantulo clarius cognoscatur. At quocum mulier loquitur? Aliquo eum necessitudinis vinculo cum ea contineri ex animo commoto apparet, praeterea illud consilium non modo admiratur (οἶα λέγεις), sed etiam comprobatur (εὖγ' ᾧ Μυρρίνη), denique se aliquid in ea re acturum significat his: ἐπ' ἑμαυτὸν ἔλαβον ποιμέν', ὅς βληχῶμενον. Atque eum pastorem non sumpsisse, ut se defendat, apparere videtur e tribus argumentis; namque et illud ἐπ' ἑμαυτὸν, non ἑμαυτῷ et βληχῶμενον, non κινδυνεύοντα et βληχῶμενον, non βληχῶμένῳ indicio sunt hanc fere sententiam fuisse: sumpsi pastorem mihi praefectum, qui balantem me reprehendet, ne quid significem, id est cavi, ne quid enuntiem occultandum. At quis tandem ille est? De Lachete quidem quod cogitaverunt, propter ea quae disputavimus vix credibile videtur; neque enim is habere potest, cur Myrrhinae consilio quodam adeo commoveatur, neque quod probato illo consilio tacere velit: ac ne Sophrones quidem haec verba esse admodum veri simile, etsi nomine γύναι mulieres inter se alloqui Epitr. vv. 437. 438. 443. 445. 452 documento sunt; sane illae inter se non noverunt, et hi versus 79—83 ab animo muliebri praesertim anus alieni sunt. Iam si ceteras fabulae personas circumspicimus, metaphoram certe illam, quae de ove tracta est, aptissimam esse concedimus Gorgiae, qui et in pastoris domo (v. 21) educatus est et tunc ipse pastoris munere fungitur (v. 27); hunc autem a Myrrhina auxilii causa arcessi et consentaneum est, quia de Plaugone quae fiant ad eum maxime attinent (v. 44), et eo confirmatur, quod e personarum indice discimus eum etsi in extrema demum fabula, tamen ante Lachetem in scaenam prodiisse, ut eius in detegendis rebus ante actis (arg. v. 10: καταφανῶν δὲ γενομένων) iam ante patris adventum partes fuisse concludamus: quare si v. 79 personae notam habuerit, Gorgiae habuisse conicio. Is igitur a Myrrhina aliquid tacere iussus esse et hoc silentium polliceri videtur.

Haec si quis aliqua cum probabilitate explicata esse concedat ac quaerat, quae ratio his Myrrhinae curis cum superioribus illis (v. 60 sq.) intercedat, hos versus (75—83) post illos pronuntiatos esse etsi elucet, tamen non nimium interim prae-

¹ Cf. Georg. 41 <πά>νυ γε.

teriisse tempus non minus clarum est. Qua ipsa re inducor, ut huius folii (γ O) partem q. d. versam ut superioris illius (δεζ), id quod ratione ipsa librorum scribendorum commendatur, ante rectam legendam id est versus 75—82 ante versus 67—74 pronuntiatos esse censeam. Ac revera quae in folio γ O recto sunt, ea iam ad mutuam parentum liberorumque recognitionem ipsam pertinere certum est. Examinatur¹ quidem (πρώτον λέγε, ἔστω τοῦτ' εἰ σὺ λέγεις, πῶς . . . , πῶς . . .) Myrrhina (υἱὸς ὧν σε λαμβάνει), ut credibile est, a Lachete coniuge de filia (οὐκ ἔστιν μόνη) ac se ante hos decem et octo annos concepisse aut peperisse fatetur: prorsus eundem numerum habemus in fabula altera Menandrea Plaut. Cist. 755: quot annos nata dicitur? — Septendecim². Sed dubitatio quaedam seiscitanti superest: nam latet matrem filius eoque res obscurior fieri videtur; ac vel hanc difficultatem ea qua progressi sumus via tollere nobis licet: scilicet Gorgias a Myrrhina iussus interim silentium observavit et nusquam apparuit. Ita omnia haec indicia optime inter se conveniunt et inter se confirmant.

His expositis clarius et certius licet argumentum fabulae, etsi multa nescimus, interpretari. Atque quod in primo versu virgo dicitur geminos peperisse puerum puellamque, idem in Georgo, in qua fabula vel Myrrhinae et Gorgiae nomina eadem sunt, invenimus. Qui ab ipsa matre aut eius nutrice traduntur educandi (ἐπιτρόπῳ arg. v. 2) Tibeo pastori olim servo (v. 21 sq.), qui se ipse eorum patrem esse profiteri solet (v. 24). Tum quod Myrrhina mira fortuna ei ipsi nubit, a quo compressa est, commune habet cum Pamphila Epitrepontum et Phanostrata Cistellariae³; sed quoniam haec marito nota est, quaestio oritur, idemne de Myrrhina iudicemus, praesertim cum Lachetem absentem (v. 46) per maiorem fabulae partem in exeunte demum reverti ex indice personarum cognoscatur. Sane eius adventu omnes difficultates solvi necesse est, tamen quoniam Myrrhinam liberos suos novisse supra intelleximus, Lachetem huius scientiae participem esse propterea incredibile est, quia et Tibeus dicitur eum patrem geminorum esse ignoravisse (arg. v. 4) et ipse Davo servo Plangonis contubernium conciliatum se esse pollicitus est (v. 43 sq.). Inter matrem autem et tutorem commercium non fuisse

¹ Cf. Plaut. Cist. 747 sqq.

² Plaut. Cas. 39 abhinc annos factum est sedecim, Ter. Eun. 318 anni sedecim.

³ Et, si dis placet, Philippa Epidici, cf. v. 169 sqq.

inde concludimus, quod Tibeus ad sustentandos liberos non eius ope utitur, sed a Lachete domino pecuniam mutuam sumere mavolt (v. 28 sqq.), ex qua ipsa re haud scio an efficiatur eum non servum (οἰκέτης v. 12), sed libertum fuisse.

Iam cum Tibeo mortuo ac sepulto gemini in patris domum transmigraverint, ipsius fabulae actio incipit; e servorum colloquio de Davi amore, de liberorum fatibus discimus nec minus de spe amantis; de qua in argumento est ὁμόδουλον εἶναι διαλαβῶν, quod verbum fere significat (cf. Epicur. ep. III 133) distinguendo aliquid certo cognoscere: at ipse non admodum certo Plangonem servam dicere audet, οὕτως inquit ἡσυχῇ, τρόπον τινά v. 20, etsi Tibeum adolescentem servum factum esse eiusque liberos illos esse ipsius testimonio usus profitetur (v. 22 sqq.). Re vera autem Gorgias τὸ χρέος ἀπεργαζόμενος (v. 36) servus non est, etsi aere alieno tenetur, et eiusmodi παραμονήν nuper e papyris Aegyptiacis aliquotiens cognovimus, itaque eius consensu opus est, ut soror marito tradatur (v. 44); neque vero cum eo ipso ea de re agere Davus ausus est, ne cum puella quidem clam se rem habuisse profitetur (v. 41 sq.), immo totam spem amoris sui in domino posuit tunc absente: ἀποδημεῖ τρίμηνον ἐπὶ τινὰ πρᾶξιν ἰδίαν εἰς Αἴμνον, quo quam saepe Athenienses profecti sint, comoediis non semel discimus (Plaut. Truc. 91, Ter. Phorm. 66, 572 sqq.). Cui versui quae addiderunt supplendi causa, supervacanea esse simili loco Georgi v. 6 demonstratur, et quod in proximo est ἐχόμεθα τῆς αὐτῆς i. e. spei, non ad amantes referendum est, quoniam cum Plangone nihil dum est transactum, sed ad servum et dominum; scilicet uterque felicem Lachetis reditum exoptant. Itaque haec fere sententia videtur fuisse: ἀποδημεῖ τρίμηνον ἐπὶ τινὰ | πρᾶξιν ἰδίαν εἰς Αἴμνον · ἡμεῖς δ' ἐλπίδος | ἐχόμεθα τῆς αὐτῆς ἐκείνος ὡς ἐγώ¹ · | σώζοιτο. — χρηστὸς εἶ σύ. — τῆς τ' ἀποδημίας | ὄνησις εἶη. Tum quae Geta respondet, credibile est propter eius animum deridendi cupidum (cf. v. 16 sq., 30 sq., 39) ita comparata fuisse, ut Davus diceret multo aberrare a vero commodo (πολὺ π(α)ρὰ τό σοι χρήσιμον) φρονεῖς, se certe, si (ἐγὼ γὰρ κᾶν) dominus peregre abesset, non inutilia sacra facturum esse (θύσαιμ' ἀνόνητον), sed optaturum, ut interiret ille cui molestos labores perferre (ἤ ζυλοφορῶ) cogatur. Huius servorum sermonis num multum praeterea interierit, cognoscere non licet: sane similes fabularum Latinarum partes (Plaut. Asin., Curc., Most.,

¹ Cf. versus similiter exeuntes Sam. 305, Epitr. 284, 569.

Pseud., Ter. Andr., Hautont., Phorm.) omnes duplicem fere versuum numerum habent, ut similia de hac Graeca coniciamus et fragmento 1 in altera sermonis parte locum fuisse non incredibile sit.

Post servos in scaenam prodiit Ἡρώς θεός, ut spectatoribus aperiret, quae eos scire necesse erat, ab adolescente vicino Plangonem compressam esse, ipsam et Gorgiam Lachetis et Myrrhinae esse liberos, praeterea id quod e simili Laris familiaris oratione, quae est in Aulularia Plautina, aliqua cum probabilitate conicimus, ut suum polliceretur auxilium ad difficultates solvendas. Quod si ad exemplar ipsius illius Laris puellae impertiebat, rem eo deducere poterat, ut vicinus ille pater infantis detegeretur atque diluerentur Davi commenta. Hic enim, quoniam rebus geminorum in iustum ordinem redactis se Plangonem adipisci non posse intellegebat, interim domini auxilio, penes quem de ipsa et eius tutore tunc potestas erat, uti conatus, sed eius peregrinatione ad desperationem redactus, cum puellam gravidam cognoscit, ea re ad desiderium suum explendum abuti statuit atque apud dominam se nocentem profitetur¹; neque igitur generoso animo ut ita agat commovetur, sed puellae calamitate abusus ut amori satisfaciat, et ea arte eum non quo voluerit pervenisse significatur argumenti verbis τὴν αἰτίαν ἐφ' ἑαυτὸν ὁ θεράπων ἐβούλετο στρέφειν. Inde oritur matris dolor, de quo uberius disputavimus. Haec autem omnia accidere vix potuerunt, nisi Plangon a quo vitata sit nescit, id quod bene convenit cum arg. v. 7 προηδικήκει μετὰ βίας. Restabat igitur primum, ut gemini Myrrhinae liberi cognoscerentur, deinde ut Davi mendacium pateferet ac pater infantis, quem Plangon paritura erat, detegeretur; his peractis quoniam maior pars aegritudinis Myrrhinae sublata erat, denique Lachetem geminorum patrem esse intellegi opus erat. Atque hoc ut fere fit in comoediis per γυνωρίσματα factum esse ex indicio argumenti (v. 11 γυνωρίσας) probabile est, de ceteris conicere testimoniorum inopia vetamur.

Monasterii Guestfalorum.

P. E. Sonnenburg.

¹ Cf. fgm. 2 et fg. inc. Θ (Körte² p. 99 sq.).